

C.

BURCARDUS ET RUDOLPHUS FRATRES DE USEN-
BERG ABBATIÆ TENNEBACENSI CONCEDUNT
REDEMPTIONEM VILLÆ MUOSBACH OP-
PIGNERATAM SIBI AB H. MAR-
CHIONE BADENSI.

CIRCA ANNUM MCCXXXI.

Ex autographo Tennebacensi.

Nos Burcardus & Rudolfus fratres de Usenberg, notum facimus uni-
versis presentem literam inspecturis, quod nos reverendis in Chri-
sto Domino Abbati Rud. & Conventui in Tennibach dedimus pro XXV.
Marcis argenti villam Muosbach redimere, absque silva & Ecclesia,
que nobis singulariter, cum ad villam non pertinerent, stabat in pin-
gnore pro triginta Marcis argenti, pro quibus R. Domino ac patre nostro
de Usenberg à Domino *H. Marchione de Baden* fuerat nomine pignoris
obligata, qui & prefatis Dominis de Tennibach silvam & Ecclesiam ac
villam in vita & in morte pariter cum consensu filiorum fuorum, cum
hominibus & omni jure, quo ipse eadem bona possederat, ab Antecesso-
ribus suis, sicut nos & alii quam plures, qui viderant, libere donavit.
In hujus ergo rei testimonium presentem literam prefatis Dominis de
Tennibach sigilli nostri munimine dedimus roboratam.

C I.

INSTRUMENTUM TRANSACTIONIS INTER ABBA-
TEM ET CONVETUM S. BLASIJ ET H. JUNIO-
REM, MARCHIONEM BADENSEM, SUPER
MONTEM SAUSENBERG.

A N N O M C C X X X I I

Ex autographo S. Blasiano.

In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti Amen! Nos Chunradus di-
vina providentia Constant: Ecclesie Humilis Episcopus universis
presens scriptum intuentibus notitiam geste rei.

Ne labantur cum tempore, que geruntur in tempore, ideo per-
quam necessarium est gesta scriptis memorie commendari. Noverint
igitur tam presentes quam posteri quod nos de voluntate & consensu
H. divina miseratione venerabilis Abbatis Sancti Blasij in nigra silva &
sui conventus litem seu controversiam, que vertebatur inter ipsos ex
una, & H. Nobilem Marchionem juniorem de Baden ex parte altera super
monte, qui dicitur *Susnberg*, sopivimus in hunc modum, ut videlicet
utraque pars juramento confirmaret, quicquid super dicta controversia
statueremus, illud inviolabiliter sine contradictione qualibet observarent.
Preceptum ergo, juramento prestito, tale fuit: ut primodictus Marchio
cum uno ex tribus, qui coram nobis nominati fuerunt, ad presentiam

Domini Regis accederet, & super hac concordia, si posset, consensum Regium impetraret, & literis ipsius super hoc habitis ipsas Abbati & Conventui presentaret. quibus habitis dictus Marchio dicto Abbati & conventui predium situm in *Vringin* aut *Endingin*, vel si hoc habere non poterit, quod sit inter *Friburc* & *Rinveldin*, de quo sine dampnis & expensis duas Marchas argenti percipere possint, bona fide sine fraude conferat, & assignet, ab ipsis libere possidendum, & in eodem predio Advocatum, quem voluerint, eligendum. Istud autem predium an sit ad predictos redditus sufficiens, & in loco competenti situm, erit in arbitrio duarum personarum ab ipso Abbate & Marchione eligendarum. Predictus Marchio sub eodem juramento promisit, ut nihil omnino de cetero preter servitium temporibus B. Ducis solitum per se vel per suos exigat vel percipiat de Curtibus ecclesie S. Blasij in Brisgaugia constitutis.

Quo rite completo Abbas & Conventus quandocunque predictus Marchio petierit, sine qualibet contradictione, cum omni cautela, quam voluerint, dicta lite cedat, renunciando omnibus actionibus tam realibus quam personalibus super dicto monte sibi aut suis Successoribus ab Abbate vel suis Successoribus unquam de cetero suscitandis ipsi Marchioni omne jus omnemque possessionem seu dominium, quod in sepe dicto monte habent, libere sine dolo & fraude conferant, & assignent. ut autem hec inconcussa permaneant, presentem cedulam sigilli nostri duximus munimine roborandam. Ego Abbas communicato fratrum meorum consilio sigillum meum appendo & consentio omnibus supradictis. Ego Marchio sigillum meum appendo, consentiens omnibus supra scriptis. Acta sunt hec apud Sanctum Blasium in Capella Sancti Johannis Bapti-

ftæ. Anno Dominice Incarnationis MCCXXXII. X. Kalend : Julij Indictione V. presentibus his testibus ad hoc rogatis. H. Abbate Sancti Blasij. Arnoldo Priore. B. Hospitalario. H. Custode. H. Preposito in Zurigove. H. Preposito in Burgilon. H. Capellano. Monachis Sancti Blasij. Magistro Ortolfo Scolastico Constant. W. flore Canonico Thuricensi & Marchione. A. Nobili de Warte. H. Monacho Milite Basiliensi Olrico Plebano de Kilchdorf.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)



C I I.

LITERÆ BERTOLDI A TECK, EPISCOPI ARGENTINENSIS DE PUERIS B. M. MARCHIONIS IN TUTELAM SUAM RECEPTIS.

CIRCA ANNUM MCCXXXII.

Ex Archivo Bûrglenfi.

B. Dei gratia Episcopus Argentinensis, omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in vero salutari. Universitati vestræ præsentibus litteris significamus, quod Monasteria de Bûrgelen & Sittenkilche cum bonis & hominibus eorundem, sicut & alia bona confanguineo-

fanguineorum nostrorum puerorum videlicet bonæ memoriæ Marchionis sub nostra protectione recipimus, scientes quod quicumque ipsos in bonis ipsorum invadere, vel damnificare præsumperit, nos graviter in hoc offendisse.

Nota. Hæc Charta potest referri ad A. 1232. & Bertoldo I. Episcopo Argentinensi adscribi, qui ex Ducum Teccensium familia fuit, atque circa A. 1224, Episcopatum accepit. Hermannus & Henricus fratres, Marchiones Badenses, A. 1226. omnia bona & jura, quæ illis ex hereditate Gertrudis, Comitissæ de Dagisburg, viduæ Alberti Comitis postremi, obveniant, Bertoldo huic concesserunt Episcopo. Vid. *Alsatia Illustr.* T. II. Non mirum ergo, Bertoldum hunc Episcopum Henrici Marchionis, A. 1231. mortui, filiorum, qui minoris adhuc erant ætatis, atque hinc *pueri* vocantur, curam gessisse. Vocat eos *Consanguineos suos*, quod ipse Teccensis fuerat, quæ familia a Zaringensibus prodiit, ut familia Badensis.

CIII.

LITERÆ EXCUSATIONIS EX MEMBRANA AUTOGRAPHIA IN ARCHIVO SECRETO VATICANO, AD CUJUS CALCEM PENDENT DUAE LIGULÆ MEMBRANACEAE, QUIBUS OLIM APPENSA FUERANT SIGILLA.

A N N O M C C X X I I .

Reverendo in Christo Patri ac Domino suo Domino Gasberto Dei gratia Arelatenſi Archiepiſcopo Domini Papæ Camerario fui devoti, & humiles Johannes de Tor Decanus, & Magiſter Hermannus de Stotka Canonicus Conſtantienſis cum omni ſubjectione reverentiam in omnibus tam debitam, quam devotam. Paternitati veſtræ ſignificamus, quod cum hoc anno eſſemus in Curia Romana miſſi per Reverendum Patrem noſtrum Dominum Ruodolfum Episcopum, & Capitalum noſtrum, & - - - Cives Civitatis Conſtantienſis ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum noſtrum Dominum Johannem divina providentia Sacroſanctæ Romanæ & Universalis Eccleſiæ Summum Pontificem pro obtinenda divinorum celebratione, ex parte veſtra non arreſtati, vel prohibiti, quod ſine licentia veſtra non exiremus Curiam, ſed ſimpliciter citati fuimus per Curſorem Domini Papæ quemdam, ut coram vobis in Palatio Domini Papæ comparere deberemus decima die exeunte Menſe Majo ad reſpondendum in jure Jacobo dicto Grieffemberch, quo termino devote comparuimus in Curia habitationis veſtræ ſedentes cum Adverſario noſtro prædicto ab hora veſpertina uſque circa noſtem ſed

propter necessarias occupationes vestras ipse fuit terminus circumductus. Deinde iterum auctoritate vestra fuimus citati per alium - - Curso-rem Domini Papæ, ut nona die exeunte Mense Majo coram vobis comparere deberemus ad respondendum prædicto Jacobo in jure, ut prius. quo termino similiter comparuimus humiliter, & devote, & habita præsentia vestra proposuimus coram vobis, quod Dominus noster Summus Pontifex Dominus Papa hujusmodi causam, et causas ad suum, & Apostolicæ Sedis examen specialiter revocavit cum inhibitione, & decreto, super hoc etiam certis Executoribus deputatis, & ostendentes vobis suas litteras bullatas de hoc allegantes etiam jus revocandi domum, & in tantum instantes, quod dixistis eatis, de illa causa nihil est Nobis commissum, & benigne Pater hiis propositis, & ostensis, & vestra sancta, ac justa responsione confisi expeditis nostris competenter negotiis recessimus non contumaciter vel furtive, ut prædictus Jacobus false asserit de Curia, sed palam in societate etiam magna ad propria, quamvis cum magnis tribulationibus, redeuntes. Verum quia Reverende Pater male informati, ut credimus, ad falsi suggestionem, & veri suppressionem præfati Jacobi asserentis nos sine omni comparitione furtive, & contumaciter de curia recessisse denuo nos citare fecistis, ut a tempore ipsius citationis intra Menses, qui nimis brevis fuit terminus Nos in Palatio prædicti Domini Nostri Papæ coram vobis debeamus personaliter præsentare ad respondendum in jure Jacobo sæpe dicto. Et licet in quantum deberemus, et possemus comparere coram vobis essemus parati humiliter, et devote; Tamen quia eundi de Constantia ad Curiam Avinionensem sunt tantum duæ viæ usitatæ, una per Civitatem Lau-

fanensem, et alia per Civitatem Bisuntinam, et in utraque via tantæ sunt discordiæ, atque guerræ etiam notoriæ inter Dominos - - - Duces Austriæ, Duces Burgundiæ, *Marchionem de Baden*, Laufonensem, et Basiliensem Episcopos, - de Sabaudia, - de Ehiburch, de Viffemburch, et de Novocastro Comites, inter Oppida Beronense, et Friburgense Laufanensis Diœcesis, ac prædictorum adjutores, et fautores, in qua etiam discordia nos in reditu nostro de Curia in una dictarum viarum in Oppido Romans Viennensis Diœcesis cum aliis quindecim honestis Personis, Prælati, Canonicis, Militibus, et aliis Nobilibus per - - dictum Enhardum et Claromonte sine omni causa fuimus captivitati, & in alia via Rudolfus quondam præfati Jacobi Adversarii nostri frater apud Civitatem Turinacensem spoliatus extitit, & occisus, propter discrimina, & pericula viarum hujusmodi, & propter metum, qui potest cadere in constantes viros non possumus, nec audemus aliquammodo comparere. Super quo ecce damus Johanni dicto Gutanger Nuncio, & excusatori nostro inhibitori præsentium speciale mandatum in animas nostras jurandi prædicta esse vera. Supplicamus pietati vestræ, quatenus ex causis præmissis nos a comparitione personali habere dignemini excusatos. Ad informationem etiam præmissorum ipse Nuncius præfatas Litteras revocatorias vestræ venerandæ circumspectioni, si placuerit, exhibebit. In quorum evidentiam sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum Constantiæ Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo secundo die secunda Mensis Octobris Indictione prima.

CIV.

EXCERPTA EX HEINRICI REGIS ROMANORUM
SENTENTIA CONTRA HERMANNUM MARCHIONEM DE
BADEN PRO ECCLESIA BASILIENSI ET EGINONE COMITE
FRIBURGENSE DE ARGENTIFODINIS ET CUSTODIA
SILVARUM PER BRISGOVIAM.

A N N O M C C X X I V.

*Extat apud Goldast. Catholicon rei monet. pag. 101. & Du Mont. Corps Dipl. T. I.
P. I. pag. 173.*

HENRICUS Dei Gratia Romanorum Rex &c. dilectus Princeps
noster Henricus Basiliensis Episcopus in solemni Curia apud Fran-
ckinfurtum coram Nobis & Principibus, ubi præsentes erant *Marchio de
Baden & Eginone Comes de Friberg*, contendentes de argentifodinis & cu-
stodiis silvarum per Brisgaugeam, quod vulgariter Wildpann dicitur.
Obtinuit & evicit per Privilegium suum ipsas argentifodinas & custodias
sibi & ecclesiæ suæ attinere. Et ipsum Eginonem Comitem de Friberg
eisdem ab ipso & Ecclesia sua legitime infeudatum. Nos itaque confi-
derantes ipsius Principis devotionem & quod sufficienti testimonio pro-
baverat, prælibata suæ ecclesiæ attinere, memoratum Eginonem
Comitem per sententiam approbatam de providentia Consilii nostri mis-

mus in possessionem bonorum præscriptorum & eadem ipsi Comiti & hæredibus suis regia autoritate confirmamus &c. Actum apud Franckinfortum. Anno Domini millesimo, ducentesimo, trigesimo quarto XV. Calend. Martii, Indictione septima.



C V.

DIPLOMA HEINRICI REGIS ROMANORUM QUO
EGINONI COMITI FRIBURGENSEI FLUMINA BRISGOVIAE
ALIAQUE IN FEUDUM CONFERT.

A N N O M C C X X X I V.

Ex Archivo Bada-Durl.

H E I N R I C U S Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus
Universis Imperii sui fidelibus gratiam suam & omne bonum. Innata nobis requirit benignitas devotorum nostrorum & Imperii devota obsequia sereno vultu respicere & eorum promotionibus tanto amplius intendere, quanto ipsorum obsequiosa voluntas se servilem studuit exhibere. Hinc est, quod nos adtendentes fidelia obsequia & devota, que fidelis noster *Comes Egeno de Friburg & de Urach* in diversis agendis nobis & Imperio hætenus exhibuit, & que sua devocio in antea poterit

exhibere; ipsum hiis fluminibus, Renchental, Wifen, Brigen, Kinze-
chen usque Gengenbach & nominatim Milenbach, Elzach, Treyfonia,
Brega & Danubio usque ad Ymmendingen cum universis Ravis, qui pre-
dictis fluminibus recipiuntur, & cum eorundem fundis nec non univer-
fis Montanis eisdem fluminibus & Ravis superjacentibus, maxime cum
de nostro fideliter sit consilio, & de nostra sit familia, de regia munifi-
cencia eundem duximus infeodandum. Volentes, ut quidquid auri in
supradictis fluminibus sive in Ravis ac universis fundis eorundem invene-
rit, & quidquid invenerit argenti in montanis, hec ad suam suorumque
heredum jure feudali, sine omni contradictione cedant utilitatem. Ut
autem predicta nostra gracia eidem maneat inconcussa, presentes ei da-
mus literas sigillo nostro roboratas. Acta sunt anno MCCXXXIII.
Datum apud Egram II. Idus Julii Indiccione VII^{ma}.

(L. S. ^{||}major.)

C V I.

FRIDERICUS II. RESTITUIT IN INTEGRUM HER-
MANNUM V. MARCHIONEM BADENSEM CONTRA VIOLEN-
TIAS HENRICI VII. ROMANORUM REGIS FILII SUL. CON-
FIRMAT QUOQUE CONCAMBIUM CIVITATUM ETTLINGEN
ET DURLACH PRO PROPRIETATE IRMENGARDIS UXO-
RIS EJUS IN BRUNSVIC.

A N N O M C C X X I V.

Ex autographo Badensi.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augu-
stus, Jerufalem & Sicilie Rex. Per presens scriptum notum fie-
ri volumus universis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris,
quod olim presentes in Alemania meminimus obligasse *Hermanno Mar-*
chioni de Baden fideli nostro civitates *Loufen*, *Sunneshaim (a)* & *Eppingen*
pro duobus milibus & trecentis marcis argenti & in feodo sibi dedisse
civitatem *Etteningen (b)* & civitatem *Durla (c)* in proprietatem pro bonis
quæ sibi ex parte uxoris sue de proprietate in *Brunsvic* contingebant, juxta
tenorem privilegii nostri exinde sibi indulti. Et quia per Virum illu-
strem Romanorum Regem *Henricum* filium nostrum coactus est de predi-
cta

(a) Sinsheim in Palatinatu. (b) Ettlingen. (c) Durlacum.

sta summa remittere mille marcas & indultum nostræ celsitudinis privilegium resignare & quod civitates predictæ non tenerentur obligate sibi nisi pro mille trecentis marcis argenti. Nos volentes mandatum & obligationem nostram in sua sicut ante consistere firmitate presentis scripti autoritate mandamus, quatenus civitates predictæ obligationi duorum milium & trecentarum marcarum argenti subjaceant, & a modo teneantur sicut nobis in Alemania existentibus obligatæ fuerunt non obstantibus litteris ab eodem Marchione dicto Regi filio nostro factis. Statuimus igitur & mandamus quatenus nullus sit qui dictum Marchionem vel heredes suos contra presentis obligationis nostre paginam impetere vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignacionem nostri culminis se noverit incursum. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri & bulla aurea typario nostræ majestatis impressa jussimus communiri.

Datum apud *pretinam* (b) anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto mense Novembri octave Indictionis.

(b) Apud *Bretinam* villam Lotharius Imperator ex Italia rediens A. 1137. mortuus est, haud procul Tridento. DODECHINVS *Breduan*, CHRONOGRAPHVS SAXO *Breduan*, Chronicon Montis Sereni *Bredinam* villam ad hunc annum vocant.

CVII.


EGINONIS COMITIS FRIBURGENSIS · LITERÆ DO-
NATIONIS PRO ABBATIA TENNEBACENSI.

A N N O M C C X X I V .

Ex autographo Tennebacensi.

Egino Dei gratia Comes de Urah. & Dominus in Fribure. omnibus in perpetuum geste rei noticiam. Cum. H. Sacerdos deuotus dictus de *Ersthein*, ex consensu fratris sui Magistri A. de *Andela*. Sacerdotis uites suas quas habuit in *Wimarstal*. beate virgini in Tennibach, & fratribus ibidem Deo seruientibus pro remedio contulisset animarum. nos quoque cum uxore nostra. a mercedis eterne Zelo succenssi. quartam partem in eisdem uitibus. que nostri juris erat annuatim. dilectis ac familiaribus nostris predictis fratribus pie remisimus. perpetuo possidendam. duos tantum Calcios qui dicuntur Boti. Singulis annis pro Censu ab ipsis recepturi. Insuper hoc ordinauimus. ut in Comemoratione omnium fidelium defunctorum nostrorum & omnium Parentum nostrorum anniversarium agant annuatim. Copiosius etiam quam consuetudo fit eodem Die jam dictis fratribus refectionem ministrando. ut autem presens factum nostrum. à nullo Heredum nostrorum infringi ualeat in posterum presentem paginam in testimonium eis dedimus. sigilli nostri munimine roboratam. hujus rei testes sunt. Abbas Celle Sancti Petri. & Camerarius ejusdem loci. W. Monachus de Tennibach. Fr. C.

Torto. Nobilis. B. de Ellhibach. W. de Stophen. B. de Horn-
 berc B. de Reppenbach. H. de Valchenstein. R. de Olfemmen-
 ningen. W. de Merdigen. Milites. H. Vazzarius. H. Sporlinus &
 filius ejus. C. Snewelinus. L. de Muncingen. F. Monetarius. So-
 man. H. Villicus de Herdern. B. de Lidringen. Ceningere. &
 alii quam plures. Acta sunt hec. Anno ab incarnatione Domi-
 ni M. C. C. XXXIII. in Castro Friburc. Regnante Domino nostro
 Jesu Christo.



CVIII.

LITERAE GREGORII PP. IX. AD PRINCIPES
 IMPERII DE SUSCIPIENDA IN TERRAM SANCTAM
 SACRA EXPEDITIONE.

ANNO MCCXXXV.

Ex registro literarum authentico Gregorii PP. IX. anni VIII. epist. 333. Romae.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei.

Dilecto filio Nobili Viro - - - Duci Austrie, & Stirie
 salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum Mater Ecclesia multis excitetur Terre Sancte clamoribus,
 ut ejus miserando statui succursum celerem studeat impertiri, cui pre-
 standi subsidium oportunitas tollitur, nisi prius discordes in pacis foede-

ra reformatur, & carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator &c. paratus sit magnifice profequi per quod tam Ecclesie, quam Imperii jura favente Domino valeant obtineri. Nobilitatem tuam rogamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus prudenter advertens quam sit tibi honorabile, quam salubre, si Cœli Regem pro temporali devotionis obsequio tibi constitutas ad dandum felicitatis bravium obligatum, ad subventionem Ecclesie te studeas communire, ita, quod Ecclesia proximo futuro Martio te personaliter decenti militia comitatum, que in expensis tuis per tres Menses preter tempus, quo veniet, & recedet, ad ejusdem obsequia commoretur, vel saltem jamdictam militiam, si venire nequiveris cum exultatione recipiat, ac tuis, & aliorum expedita subsidiis ad Redemptoris gloriam in pacis gaudio reflorescat, sicque fiat, quod ex hoc tibi a Sede Apostolica plenitudo favoris & gratie, ac tandem proveniat retributionis premium sempiternæ.

Datum Perusii V. Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

In eundem modum

Duci Karinthie.

Item Comiti Palatino Reni, & Duci Bowarie.

Item Langravio Thuringie, & Palatino Comiti Saxonie.

Item Marchioni Misnensi, & Landespergenfi.

Item Marchionibus Brandenburgensibus ut alter eorum veniat.

Item Duci Saxonie.

Item Palatino Comiti Tuingen.

Item Comiti Afcanie quod veniat, vel mittat filium suum.

Item Duci Lotharingie.

Item MARCHIONI DE BADEN.

Item Duci de Lemburch.

Item Juniori Duci Brabantie.

Item Comiti Hollandie.

Item Comiti Seinenfi.

Item Comiti de Gelre.

Item Comiti Clevenfi, ut veniat, vel filium suum mittat.

Item Comiti de Hennenberch ut veniat, vel filium suum mittat.

Item Comiti Tirolenfi, ut veniat.

Item Comiti de Gorze.

Item Marchioni Moravie.

Regi Boemie fratri ejusdem Marchionis, ut det ei subsidium
in Militibus.

CIX.

EXCERPTA EX FRIDERICI II. IMP. SENTENTIA
DE LIBERANDA EX CAPTIVITATE CLEMENTIA,
BERTOLDI V. ZARINGIÆ DUCIS,
VIDUA.

A N N O M C C X X X V.

Ex authentico tabularii Dolensis apud Petrum Franc. Chiffletium in Epist. de Beatrice Com. Chalon. pag. 97.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex Quod assidentibus nobis dilectis Principibus nostris in Curia Moguntia generali, de ipsorum Consilio ad Conquestionem Comitis Stephani de Burgundia, fidelis nostri, quam proposuit coram nobis pro parte filia suæ *Clementia*, quam asseruit captivam violenter & nequiter detineri à *Comite E. de Hurach.* & ab eodem Castro *Burcdorf* ac aliis bonis, quæ bonæ memoriæ *Bertoldus Dux Zaringia* in dotalitium contulit ei, contra justitiam exposuit spoliata; lata est sententia coram nobis, ut ipsam *Clementiam* liberari & Castrum ipsum cum omnibus bonis in dotem sibi concessis ei restitui demandemus Acta sunt hæc Anno Dominice incarnationis MCC & XXXV. mense Augusto, Indictione VIII. . . . Anno Imperii XV. regni Jerusalem X. . . . Siciliæ XXVII. Datum Moguntia &c.

C X.

FRIDERICI IMPERATORIS LITERÆ AD STADENSES,
UT OTTONI DUCI LUNEBURGENSEI RESTITUANT,
QUAE EX HEREDITATE BRUNSVICENSIS
IPSI POSSIDEANT.

A N N O M C C X X X V I.

Ex Orig. Guelf. Tom. IV. p. 168.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Ierusalem & Sicilie Rex. Universis civibus de Staden, fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum, Dudum in collegio curie Moguntinensis, de consilio principum nostrorum, Oddonem de Luneborch in principem nostrum creavimus, sibi conferentes in feudum hereditatem pertinentem ad dominium *Brunswic*, quam a dilectis principibus nostris, Oddone Duce Bavarie & *Marchione de Baden* olim emeramus, nomine uxorum suarum pertinentia ad eosdem. Verum cum quædam de hereditate ipsa tenere dicamini contra collationem ipsi principi nostro factam; fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus ea, que de hereditate ipsa tenetis, restituatis & dimittatis eidem principi nostro, nec aliquam ei super hiis molestiam inferatis, ut devotionem vestram pro meritis commendemus.

Datum apud Augustam, ultima Octobris, nona Indictione.

C X I.

AGNES COMITISSA DE URA ET DE FRIBURC PROPRIETATEM CURTIS IN VILLINGEN AD EXSTRUENDUM IBI PARTHENIUM SANCTIMONIALIBUS DONAT.

A N N O M C C X X X V I.

Ex Archivo Furstenbergico.

Quia rerum gestarum veritatem & ordinem de facili delere consuevit oblivio, maxime dum in longum temporum extenditur successio, idcirco providorum hominum sollicitudo, quidquid agitur, scripture Testimonio decrevit comendare: Notum sit ergo omnibus tam futuris quam presentibus quod quedam Sorores Christo devote volentes in villa *Villingen*, ad serviendum Domino, sibi mansuiculam construere: quandam curtis ibidem sitam a vidua cujusdam Hiltegeri, & ab heredibus suis, qui civis ejusdem Civitatis extiterat, per quandam pecunie summam comparaverint. Ego autem *A. Comitissa de Ura & de Friburc*, quando eadem curtis jure proprietatis ad me spectabat, filiorum meorum super hoc habens assensum. quidquid in ea juris habebam, ipsis jure perpetuo contuli possidendum. ut ergo prefate vidue venditio, quam nostra donatio rata permaneat, & in posterum a nullo retractari valeat, prenominate Sororibus paginam presentem dedimus sigilli nostri munimine

mine confirmatam. Acta sunt hec Anno ab Incarnatione Domini
M. CC. XXXVI. in presentia Testium subscriptorum. U. de Valcken-
ftain. W. de Stouphen. H. Sculteti Ragini. H. de Offenburc. B. Sta-
chelini. G. & C. & Domini Ottonis & Filii sui. & C. Jochelini. H. Fra-
tris sui, & aliorum quam plurimorum. Datum in villa Vilingen Annis
Domini prenotatis

||
(L. S. penfilis.)



CXII.

ADELHEIDIS COMITISSÆ FRIBURGENSIS ET
FILIORUM EJUS CHARTA, QUA AREAM CURIÆ
TENNEBACENSIS PROPE FRIBURGUM
A CENSU ANNUO LIBERAM
REDDUNT.

ANNO MCCXXXVII.

Ex autographo Tennebacensi.


Adelheidis Dei gratia Comitissa de Friburc. C. B. H. & G. (a)
filii sui omnibus in perpetuum.

(a) Literæ hæ initiales significant Conradum & Bertoldum & Henricum &
Gotfridum. Vid. Tom. I. Tab. V. ad pag. 221.

Cod. Dipl.

C c

Nouerint Vniuersi quod nos pro remedio animarum nostrarum & Divini Cultus augmento aream unam in Curia Monachorum de *Thennibahc* sita juxta *Friburc* in qua scilicet Capella de nouo constituta est: quæ nobis in xij. s. annui census tenebatur, manumittimus & liberam constituimus. ita quod nec nos nec heredes nostri predictum in ea Census vel aliud quicquam ratione Census deinceps exigere debeamus. ut autem hec rata permaneant presentem paginam Sigilli nostri muniminé duximus roborandam. Acta sunt hec anno Domini M. C. C. XXXVII. Mense Julio in Ecclesia de *Friburc* in presentia testium subscriptorum. W. Monachi in *Thennibahc*. W. de *Stoufen*. H. de *Velthem*. H. *Sculteti* in *Friburc*. H. *Fafarij*. C. de *Zæringen*. L. de *Munzingen*. & aliorum quam plurium.



CXIII.

CONRADI COMITIS FRIBURGENSIS ET FRATRUM
EJUS INSTRUMENTUM DE CAPELLA IN SUBURBIO
CASTRI FRIBURGENSIS EXTRUCTA.

CIRCA ANNUM MCCXXXVII.

Ex Tabulario Tennebacensi.

C Comes de *Urâh*. Dominus de *Friburc* B. H. & G. fratres
ejus. omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspe-
cturis. Rej geste noticiam. Pia potentum opera cum in scripta

rediguntur non hoc provana fit gloria. sed ut potentibus eorum similibus similia faciendi relinquuntur Exempla. Ea de re dilectus bone memorie progenitor noster Comes Eginô de Urah Dominus de Friburc. cum pro anima sua dilectæque matris nostre A. Comitisse: & pro animabus Parentum utriusque Divini Cultus intendens augmentum in grangiâ Monachorum sibi fidelium ac Dilectorum Rev. Abbatis & fratrum in Thennibach in Suburbio Castrî sui sita. Capellam ad honorem Dej & Beate Virginis. & Beati Johannis Baptiste fieri decrevisset. & partem sumptuum adhuc vivens ad ipsam construendam provide deputasset. eo viam universi carnis ingresso. nos ejus filij cum verbo & consensu prenominatæ dilectæ Matris nostre Comitissæ: bonum sue deuotionis propositum per omnia ratum habere cupientes. cum eadem Capella facta fuisset & perfecta. in ipsius Consecratione que Die Apostolorum Philippi & Jacobi facta est. ad dotandam Ecclesiam. xij. sol. remisimus a dictis fratribus in Censum annuatim persolvendos. hoc etiam ordinantes ut exinde lumen eidem Ecclesie perpetuo debeat ministrari. ut autem presens factum nostrum ab omnibus Heredibus nostris ratum haberi oporteat. presentem paginam dedimus in testimonium rei geste Sigilli nostri munimine roboratam.

CXIV.

CHARTA LUTOLDI, BASILIENSIS EPISCOPI, QUA
PRÆDIA ET CURTES IN CHILCHEIN, MATRA ET EINMU-
TINGIN, CUM JURE PATRONATUS, QUOD ILLIS COHAE-
RET, ALIAQUE BONA, A CONRADO, DECANO BASILIENSI
COEMTA, AD ECCLESIAM CAPITULUMQUE S. PETRI
BASILEÆ PERTINERE DECLARAT.

A N N O M C C X L I.

Ex tabulario S. Petri Basileæ.

Lutoldus Dei gratia Basiliensis Episcopus vniuersis Christi fidelibus in
perpetuum. Facilius ab humana elabantur memoria quæ non
scriptorum & Sigillorum testimoniis ad posteros transmittuntur. Nou-
erint ergo uniuersi præsentis & futuri quod Conradus Decanus Sancti Pe-
tri Basiliensis plebanus Sancti Theodori in ulteriores Basilea recognovit
coram nobis quod prædium in *Chilchein* cum appendiciis suis cui appen-
det Jus patronatus Ecclesiæ ejusdem villæ. Item aliud prædium in ea-
dem villa quod emit a Gotefrido plebano in *Chilchein* & à cognato suo
Johanne qui dicitur Beilar. Item in *Matra* & in *Einmutingin* Curtes
cum appendiciis suis, quibus etiam appendent jura Patronatus ecclesia-
rum dictarum villarum. Item territoria & domos jacentes inter sanctum
Andream & domum quæ dicitur Steinchelre. Item hortos ante portam
Spalee qui fuerunt Chraftonis Lutenbacensis thesaurarii. Item aream
in monte Nadilberch quæ fuit Henrici militis de Arguel. Item domum
quandam vndir Salzchafton sitam. non sibi sed ecclesiæ & Capitulo San-

cti Petri Basiliensis emerit & quod eadem non sibi sed ecclesie & capitulo Sancti Petri sunt collata. Recognouit etiam vineam in ulteriori Basilea quæ ad ipsum jure proprietatis pertinebat, ecclesie contulisse prelibate. Recognovit insuper quod nullo unquam tempore aliquid de dictis prædiis percepit sed si quid recepit vel percepit quod non meminit, hoc non suo sed ut canonicus nomine ecclesie recepit & percepit supranominatæ. Licet autem nihil juris in prædiis memoratis habuerit tamen ad tollendum omnem dubitationis scrupulum ad amputandam omnem occasionem & materiam litigandi, idem Decanus renunciauit in manibus Hugonis præpositi Sancti Petri Basiliensis omni juri si quid sibi in præfatis prædiis competeat vel competere videbatur. In hujus rei testimonium præsentem cartam tam nostro quam ecclesie nostræ Capituli sigillis fecimus consignari. Testes: Henricus præpositus villicus Decanus. Wernerus de Tierstein. Hugo Cantor. Vlricus Cellerarius. Conradus Camerarius. Henricus camerarius, canonici Basilienses. Johannes Custos. Magister Petrus. Petrus de Steina. Henricus præpositi. Lodowicus. Henricus scripitor, Johannes scolasticus canonici Sancti Petri; Hugo Decanus Sancti Johannis. Henricus Succustos. Henricus præbendarius episcopi, Henricus & Henricus de Criptis. Johannes de Sancta Cruce. Hugo Bumann. Johannes de Sancto Vlrico. Otto de Sancto Oswaldo sacerdots. Petrus scolararius & Otto frater ejus. Hugo Monachus. Albertus de Argentina. Johannes Turchindam milites. et alii quam plures. Actum Basileæ. Anno Domini Millefimo Ducentesimo Quadragesimo primo. Tertio Nonas Nouembris.

CXV.

BURCARDUS ET RUDOLFUS DE USENBERG,
DYNASTÆ, ABBATIAM TENNEBACENSEM A TELONIO
IN RIEGOL DECLARANT IMMUNEM.

A N N O M C C X L I V.

Ex autographo Tennebacensi.

NOS BURCARDUS ET RUODOLFUS: Nobiles de Usenberg notum
facimus - - - - quod nos Consilio Communi habito rustico-
rum nostrorum in *Riegol*, cum Reverendo in Christo Domino R. Abbate
de Tennibach & Conventu ejusdem Loci de ponte nostro Riegol sito,
convenimus taliter, quod præfati Domini de cetero cum omni vectura,
oneris & animalium, ac bonorum suorum sint exempti ab omni exactio-
ne Thelonei, quæ imponitur, vel adhuc à nobis vel nostris hæredibus
posset imponi, vel ab aliis quibuscunque in futurum transeundo, vel
ducendo aliquid per ipsum pontem, ita tamen, quod ipsi ex nunc nobis
omni anno in festo S. Martini de Grangiis ipsorum dent unum malterum
filiginis ad prædictum pontem pro Theloneo, & pro reparatione ejusdem
pontis cum contingerit infringi per ingluviem aquarum vel aliunde.
Acta sunt hæc Riegol, anno Dominicæ incarnationis M. CC. XXXXIII.

CXVI.

FUNDATIO MONASTERII LUCIDÆ VALLIS AB
IRMENGARDE FACTA HERMANNI V. MARCHIONIS
BADENSIS VIDUA.

A N N O M C C X L V.

Ex annal. Monast. Lucidæ Vallis apud Gamansium Cap. 27.

Anno Dominicæ Incarnationis 1245. *Irmengardis* relicta *Hermani Marchionis de Baden*, foror ducissæ Bavaricæ, secundum Paulum malens sic permanendo beatior fieri, quam alteri nubere, veri Salomonis filia, quod ante diu conceperat, volens effectui mancipare, videlicet Domum in honorem Domini ædificando, primum hunc locum ædificiis cœpit occupare & de Domo Walden Cisterc. Ordinis florente religione, causa devotionis & regularis disciplinæ sanctimoniales quasdam ad hunc locum vocavit, quibusdam aliis in hoc ipso loco (provocante Dei amore & timore) novitatis: & nomen Domini, quantum potuit, studuit exaltari: Anno Domini 1246. *Irmengardis* Marchionissa cum *duobus filiis suis Marchionibus*, scilicet *Hermanno & Rudolpho*, Nonna Trudinda scœmina religiosa de Walden assumpta, & in primam Abbatissam hujus loci creata, ad Capitulum generale Cisterc. Ordinis pro Incorporatione Domus litteras direxit. Anno 1248. constructa & perfecta orientali parte claustrum primum inhabitari cœpit hæc Domus a religiosis ac venerabilibus sanctimonialibus. Fuit enim earum habitatio

prius foris in tugurio ligneo & humili. Eodem anno incorporata est hæc Domus ordini Cisterciensi & commendata Abbati novi castri. Eodem anno dedicatum est majus Altare, a Domino Henrico Argentinensi Episcopo dicto de Staheleke: ipso Die dedicationis Hermannus Marchio de Baden exhumatus de loco, quo jacebat, sepultus est in choro ante Altare.



CXVII.

HERMANNI ET RUDOLPHI FRATRUM, MARCHIONUM BADENSIIUM, LITERÆ DONATIONIS FACTÆ MONASTERIO LUCIDÆ VALLIS.

ANNO MCCXLV.

Ex Archivo Badensi.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. HERMANNUS & RUDOLPHUS fratres D. G. *Marchiones de Baden* Spirensis Diœcesis universis, ad quos præsens cedula pervenerit, salutem in Christo Jesu. Quod humanæ voluntates, ex diversis causis plerumque variantur, operæ pretium est, ut ea, quæ ad laudem & honorem omnipotentis Dei deputantur, tam literali cautione quam privilegiorum munimine fulciantur. Noverint igitur tam præsentem quam futuri, quod

quod cum Princeps illustris HERMANNUS, pater noster, *Marchio de Baden*, divina ordinante providentia viam universæ carnis esset egressus & ejus relicta *Irmengardis*, Domina ac mater nostra saniori usa consilio ob remedium animæ dicti Marchionis & remissionem peccatorum dictæ *Irmengardis* nostrique memoriam in posterum celebrandam apud *Buere* prope Baden ædificare cœpisset claustrum Dominarum ad ipsius operis consummationem nec personarum ibidem Deo servientium ejus suppetere facultates; nos usi consilio salubri hæc bona, videlicet jura patronatus Ecclesiarum in Ettlingen & Baden (i. e. tertia pars) decimam, quæ nobis cadit in Ifftsheim, villas Winden & Buere cum omnibus atinentiis, duas curias in Osse & unam in Eberstein, duodecim libras Argentinensis mœnetæ de censibus nostris in Selzen solitò persolvendis, in dictam matrem nostram transferimus nostra libertate possidenda plenam dantes eidem potestatem, ut eadem bona ad usum dicti monasterii sine difficultate cujuslibet & contradictione &c.

Testes hujus rei sunt viri discreti: Præpositus omnium SS. Argentinensis Diœcesis, plebani in Ettlingen & in Winsheim, sc. Sigismundus & Wenzelo, Conradus notarius noster, Albertus miles de Liebenstein, Burchardus & Henricus Rodarij de Iberc, Sigismundus & Rudolphus Dapiferi nostri, Erlewinus Scultetus de Pforzheim & Cuno miles. Ut autem prænotata robur obtineant firmitatis, præsentem litteras, sigillo patris nostri munitas, cum adhuc propria sigilla non habeamus; dilectæ dominæ nostræ & matri damus reservandas. Acta sunt hæc anno Domini MCCXLV. mense Martio.

CXVIII.

LITERÆ DISPENSATIONIS PRO RECTORE
ECCLESIAE ACHERENSIS, DE RECIPIENDIS PLURIBUS
BENEFICIIS.

A N N O M C C X L V.


*Ex registro anni III. literarum Innocentii PP. IV. tom. I. Ep. 228. Romæ.***I**nnoCentius Episcopus servus servorum Dei.

Dilecto filio Magistro Bertoldo Rectori Ecclesie de Acher Argentinenfis Diecesis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Licet propter ambitiones quorundam, ne quis plures Ecclesias, vel Ecclesiasticas Dignitates habeat, Sacri Concilii constitutio interdicat, tue tamen probitatis meritis, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, & consideratione dilecti filii nobilis viri HERMANNI & RADULFI *Marchionum de Baden* supplicantium pro te Nobis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut preter Beneficia Ecclesiastica, quæ curam animarum habentia nunc obtines, liceat tibi, constitutione non obstante predicta, unicum Beneficium vel Personatum, seu Dignitatem, etiam si similem curam habeat, si tibi canonice offeratur, recipere, ac una cum obtentis libere retinere. Proviso quod eadem Beneficia debitis non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si

quis autem hoc attemptare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incurfurum.

Datum Lugduni VII. Kalendas Novembris Pontificatus Nostri Anno Tertio.



CXIX.

CONRADI V. EPISCOPI SPIRENSIS LAUDUM INTER HERMANNUM VI. MARCHIONEM BADENSEM ET MONASTERIUM OMNIUM SANCTORUM IN NIGRA SILVA.

A N N O M C C X L V I.

Ex tabulario nobilium de Schauenberg.

Cunradus Dei gratia Spirensis Episcopus & Bertholdus eadem gratia ejusdem Ecclesie prepositus vniversis prefens scriptum intuentibus notitiam subscriptorum que geruntur in tempore ne labantur cum tempore bene literarum apicibus testimonio & figillis solent roborari. Noverit igitur prefens etas & futura posteritas, quod cum causa que vertebatur

D d 2

inter prepositum & conventum Ecclesie omnium Sanctorum in nigra filva Argentinensis diecesis ex una parte, & *Hermannum nobilem virum Marchionem de Baden* ex altera, aliquamdiu fuisset ventilata, tandem in nos ab utraque parte fuit compromissum, quare nos inspectis ipsius Ecclesie privilegiis super possessionibus ac proprietate ac etiam libertate, super quibus lis vertebatur, a nobilibus ducissa videlicet de Scowenpurg & patre nostro Eberhardo de Eberstein pie recordationis, nec non etiam privilegiis & confirmationibus illustrissimorum imperatorum, Henrici videlicet & Friderici, ac etiam Regis Philippi prelibate Ecclesie collatis, nihil juris jam dictum Marchionem in advocatia & hominibus pertinentibus ad Ecclesiam Nufsbach vel etiam in dote nec non in hominibus, que prelibata ducissa ac pater noster ante dicte Ecclesie contulerunt, invenimus habere, unde nos prudentum usi consilio virorum, inter ipsos taliter composuimus, quod Ecclesia omne dampnum, quod a prelibato Marchione consecuta fuerat, in rebus propriis & in hominibus Ecclesie quatenus etiam in expensis gravibus faciendis quod Ecclesia estimabat plus quam ad centum libras, nec non etiam injectionem manuum, quam in prepositum & alios canonicos ejusdem Ecclesie remitteretur, ea conditione, quod de cetero sepedictus Marchio sive sui heredes antedictam Ecclesiam in prelibatis possessionibus & hominibus, nec non omnibus injuriis non presumant molestare. Ut autem hec robor firmitatis obtineant in perpetuum, presentem paginam nostris & Domini Marchionis Sigillis duximus communiri. Acta sunt hec apud *Stolhoven* anno Domini millesimo ducentesimo quadragésimo sexto, undecimo Kalend. Aprilis. Testes autem huic facto intererant Eberhardus & Otto fratres nostri de Eberstein, Godefridus de Vehingen, & Gode-

fridus de Calwe Comites. *Hermannus filius Marchionis*, Magister Michael & Magister Hermannus Porten. Spirensis, Magister Bertoldus Canonicus majoris Ecclesie in Wurmacia, Burcardus miles de Reder & alii quam plures.

(:~~~~~:)

CXX.

HERMANNI ET RUDOLFI FRATRUM, MARCHIONUM
BADENSIIUM, CHARTA DE FEODO IN
EICHSTATT.

ANNO MCCXLVIII.

Ex Cod. Urstif. Mpt.

Ego HERMANNUS & RUDOLFUS frater meus, *Marchiones de Baden*, notum facimus universis, quod nos feodum in *Eistat*, quod habebant à nobis R. & B. fratres de Ufenberc, Hesson filio Domini B. de Ufenberc defuncti, concedimus & transmittimus jure feudali possidendum. Datum in *Mulenberc* Anno Domini MCCXLVIII. Indictione I. nonis Aprilis.

C X X I.

PAPA INNOCENTIUS IV. CONRADO COMITI FRIBURGESI CONFIRMAT SPEM CASTRORUM ET OPPIDORUM NEUENBURG, OFFENBURG ET ORTENBERG.

A N N O M C C X L V I I I.

Ex Tabulario Bada - Durlacensi.

Innoce[n]tius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili uiro *C. comiti de Friburg* salutem & Apostolicam benedictionem. Fidei tue sinceritas exigit, ut tuis petitionibus, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos Deuotionis tue precibus inclinati promissiones per clare memorie H. Romanorum Regem prouide tibi factas, sicut in ejusdem litteris perspeximus contineri & specialiter super restitutione castrorum & oppidorum quorum nomina *Niuenburg, Offenburg, & Ortenberg* fore proponis, jure successione hereditarie da te pertinentium. cum ea de potestate inimicorum Ecclesie contingeret liberari. auctoritate Apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se nouerit incursum. Datum Lugduni V. Kal. Aug. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CXXII.

EXCERPTA EX INNOCENTIJ IV. PAPÆ LITERIS.

A N N O M C C X L V I I I .

Ex Bibliotheca Regia Parisiensi.

Nobili viro Hermannò *Marchioni de Baden.* - - - Ducatum five principatum auftrie cum omni honore, diftrictu & jure ipfius tibi donatum rite ac liberaliter inter vivos a Nobili muliere G. Duciffa auftrie uxore tua, ad quam idem Ducatus per fucceffionem hereditariam fecundum antiqua & approbata ipfius terre confuetudinem, nec non per fummos Pontifices, Imperatores, & Reges Romanorum, ut afferis, confirmatam, dicitur legitime devolutus, auctoritate tibi Apostolica confirmamus & prefentis fcripti patrocínio communimus. Nulli ergo &c. noftre confirmaciónis &c. Datum Lugd. XVIII. Kal. Oétobr. Anno VI.

CXXIII.

IRMENGARDIS, MARCHIONISSA BADENSIS,
NOVO LUCIDÆ VALLIS PARTHENIO, AB IPSA FUNDATO
JUS PATRONATUS IN ETTLINGEN ET BADEN &c.
CONFERT DONO.

A N N O M C C X , L V I I I .

Ex Tabulario Monasterii Lucidæ Vallis.

IRMENGARDIS *Marchionissa de Baden* omnibus præsens scriptum
intuentibus, subscriptis fidem & favorem adhibere. Ordinum fe-
liciter & prudenti consilio testamentum perseverat immobile si littera-
rum fuerit & multorum auctoritate firmatum. Sciant ergo præsentis
& posteris, quod nos in remissionem peccatorum nostrorum & omnipoten-
tis Dei misericordiam consequendam, ad laudem & honorem suæ
gloriosæ Matris virginis Mariæ & omnium Sanctorum suorum novellæ
plantationi Sanctimonialium in Lucida valle apud Baden ordinis Cister-
ciensis, Spirensis Diocesis a nobis fundatæ, jura patronatus in *Ettlin-*
gen & in *Baden*, decimam apud *Iffitzheim* & à filiis *Hermann* & *Rudol-*
pho nobis collata, pia devotione contulimus perpetuo possidenda. In
hujus rei certam evidentiam & robur perpetuum contulimus præsens
scriptum dicto conventui sigilli nostri munimine roboratum. Hujus rei
testes sunt H. Argentinenfis Episcopus de Selza, de Schwarzache,
de Neuburg, de Alba, de Brumbach, Abbates & Prior Neuburgiensis,
Comes

Comes de Wurtemberg, Otto Comes de Eberstein & alii quam plures tam clerici quam laici. Acta sunt hæc Anno Domini MCCXLVIII. tertio nonas Novembris die videlicet consecrationis jam dicti Monasterii, qui est octavus dies Novembris.



CXXIV.

BURCARDUS ET RUDOLFUS FRATRES, DYNASTÆ
USENBERGENSES CURTIM ET JUS PATRONATUS IN
HUGELNHEIM ABBATIÆ TENNEBACENSI
VENDUNT.

ANNO MCCXLVIII.

Ex autographo Tennebacensi.


Burchardus & Rudolfus fratres & Nobiles viri de Usenberch. Notum facimus, quod nos utilitate nostra evidenter pensata & communi-
cato prudentum favore, & Consilio, qui nostri honoris & Comoditatis
successum intendebant, curtim nostram *Hugelenheim* cum omnibus ap-
pendiciis & accessoriis tam in rebus quam in personis quovis modo ad ip-
sam curtim pertinentibus, exceptis duntaxat feodis ibidem, que vulga-
riter dicuntur *Mannlehen* Ecclesie Ordinis Cisterciensis de Tennibach pro
centum & tredecim marcis vendidimus, sed & Jus patronatus Ecclesie de
Hugelenheim sicut ad nos pertinere dinoscitur cum Univerfitate predicto-
rum transtulimus omnino in Ecclesiam de Tennibach memoratam. Ce-

Cod. Dipl.

E e

terum omnem Actionem, que nobis competebat vel nostris Antecessoribus competere poterat pro recuperatione juris predictæ curtis cessimus eidem Ecclesie, ut in omnibus proprium commodum consequatur. Testes hujus ordinationis sunt - - - - - & alii quam plures.

Actum anno Domini M. CC. XLVIII. in Castro *Stouphen*.



C X X V.

INNOCENTII IV. PAPÆ BULLA AD WILHELMUM ANTICÆSAREM DE ADJUVANDO BADENSI MARCHIONE AD AUSTRIÆ DUCATUM CONSEQUENDUM.

A N N O M C C X L I X.

Ex Bibliotheca Regia Parisiensi, cod. 4039.

Innoctius &c. Illustri Regi Romanorum &c. Etsi cunctis ex attributa tibi potestate a Domino favere in sua justitia tenearis, sublimibus tamen nobilibusque personis, per quas honori tuo magno utilitatis fructus posse provenire speratur, favorabiliorem te convenit exhibere in hiis præcipe que sibi a tuis predecessoribus sunt concessa. Cum igitur sicut ex parte dilecti filii nobilis viri *Marchionis de Baden* fuit propositum coram nobis a claræ memoriæ Romanæ Imperatoribus qui fuere pro tempore, Ducibus Austrie ex speciali privilegio sit permissum, ut si iidem Duces absque liberis masculis morerentur, femine tam in Ducatu quam feudis aliisque

bonis omnibus possint jure succedere masculorum : idemque paratus sit contra F. quondam Imperatorem, C. natum ipsius eorumque fautores signum crucis assumere, tibi que sicut asserit, totis viribus fideliter adherere : nos arbitantes dignum existere, ut ipsum propter hoc regalis munificentie gratia favorabiliter prosequaris serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quod ducatum, feuda & alia bona, que cuncta memoratus Dux Austrie habuisse dinoscitur, ipso adimplente quod offert, nobili mulieri, uxori sue, nepti ejusdem Ducis, cui ea ut dicitur debet tam propinquitate sanguinis, quam de privilegii ratione succedere, liberaliter conferre ac ipsam de predictis investire procures, ita ut prefatus Nobilis tuis beneplacitis obligetur, nosque proinde tue sinceritatis zelum merito commendemus. Datum Lugd. II. Kal. Feb. Anno VI. (a)

Nota. Bulla hæc cum ea, quam supra sub Num. CXXII. exhibuimus, legitur quoque apud *Baluzium* Miscellaneor. Tom. VII. pag. 410. & 455.
(a) Apud *Baluzium* legitur Idus Februarii.

CXXVI.

WILHELMUS REX ROMANORUM RESTITUTIONEM
OPPIDI .NEUENBURG CONRADO COMITI
FRIBURGensi PROMITTIT.

A N N O M C C L I.

Ex Authenico Archivi Badensis Basileæ.

Wilhelmus Dei gratia Romanorum Rex semper Aug. Noverint uniuersi ad quorum noticiam iste peruenerint, quod cum *Comes Conradus de Vriburg*, dilectus fidelis & Consanguineus noster, ecclesie, nobis & Imperio seruiuerit haftenus fideliter & prudenter, & in posterum nobis in negociis ecclesie & Imperii per se ac suos potenter & patenter seruire debeat bona fide, quandocumque ipsum duxerimus requirendum, prout ipse in nostre maiestatis presentia data fide promisit, prestito super hoc corporaliter iuramento, nos ipsum propter hoc speciali gratia & honore preuenire volentes, restitutionem oppidi *Nuuenburg*, & omnium aliorum bonorum in quibus jus proprietatis obtinet, per bone memorie *H. Lantgranium Thuringie quondam Romanorum in Regem electum* sicut asserit sibi factam gratam & ratam habemus. Volumus quoque & fideliter promittimus ipsum iuuare ac defendere in iuribus eorundem, per uires & potentiam regie maiestatis, dantes ei presentes litteras in testimonium super eo. Datum Argentine. III. Idus Maij Indiçt. VIII. (a)

||
(L. S. majest.)

(a) Ex Anno Indiçt. apparet chartam hanc datum esse Anno Christi 1251.

CXXVII.

WALTHERUS DOM. DE GEROLDSECK CUM UXORE
SUA HEILIKA CURIAM IN HARDEREN ABBATIÆ
TENNEBACENSI TRADUNT.

A N N O M C C L I I.

Ex Archivo Tennebacensi.

Anno Domini incarnationis M. CC. quinquagesimo secundo in Die Epiphanie. Ego Waltherus Dominus de Geroltzecke & uxor mea Heilika nomine fani & incolumes testamentum facere cupientes contulimus Conventui in Tennibach Cistere, Ordinis Curiam nostram in *Harderen*, cujus proprietas ad nos hucusque cum dimidietate Decime pertinet pro remedio animarum nostrarum & parentum nostrorum resignantes eandem Curiam cum omnibus juribus suis in manus Abbatis, Prioris & Cellarii Cenobii ejusdem, præsentibus & Consentientibus Walthero præposito Argentin. Hermanno & Heinrico natis nostris, hoc tamen adjuncto, quod iidem Abbas & Conventus quam diu nos duo vixerimus nobis vel alteri nostrorum de eadem Curia solvent CXL. modios tritici filiginis & ordeï annuatim & præsentabunt nobis prædictam annonam ad duo milliaria ductu suo quocunque voluerit alter nostrorum & post mortem utriusque eam libere possidebunt, ut ex tunc bis in anno anniversarios nostros peragant eo modo omnes qui fuerint ibidem presbyteri pro me & parentibus ac heredibus meis Die anniversarii mei celebrabunt missas pro defunctis. & ita similiter in anniversario facient

E e 3

meæ conjugis supradicte, nec non participationem omnium orationum & bonorum operum, que ibidem fiunt in perpetuum nobis vivis conferent & defunctis. ut autem majori cum devotione nostri Dies anniversales celebrentur, adjicimus hoc rogando, quod tunc ex eodem testamento præbentæ eorum in vino meliori, pane albo, piscibus, vel caseis secundum, quod tempori congruerit, meliorentur. Ne quis - - - -
Acta sunt hæc in Castro Malberc - - - presentibus - - - - &
aliis quam pluribus.

CXXVIII.

RUDOLFUS DE USENBERG CENSUM IN ENDINGEN ABBATIÆ TENNEBACENSI ADSCRIBIT.

A N N O M C C L I V.

Ex Archivo Tennebacensi.

Res gestæ ne labantur - - - - - noverint ergo - - - - -
quod ego Rudolfus de Usenberg pro remedio anime mee contuli Sancte Marie in Tennebach Censum II. Saumarum in *Endingen* eidem Claustro annuatim persolvendum, hi sunt qui eundem Censum persolvunt Cuonradus dictus Schmurti II. amas, Henricus juxta fontem III. urnas, Gunheins filius Cuononis juxta fontem III. urnas. Datum apud *Endingen* anno Domini M. CC. LIIIJ. in Conversione S. Paulj.

CXXIX.

RUDOLPHUS MARCHIO BADENSIS STEINHEI-
MENSIS MONASTERIO CURIAM SUAM IBIDEM
SITAM VENDIT.

A N N O M C C L V.

Ex Befoldi docum. rediviv. monaster. Wurtemberg. P. II. in monast. Steinheim docum.

n. III. pag. 34.

In nomine Domini nostri Jesu Christi ; Amen. Ea. que geruntur in tempore. Simul cum tempore in oblivionis precipitium deducuntur. nisi redivivo literarum testimonio perpetuum capiant monumentum. Noscat igitur presens etas discreta & futura posteritas. quod ego. **RUDOLFUS** Dei gratia *Marchio de Baden.* vendidi & tradidi curiam meam in Steinheim libere. cum omnibus suis appendiciis. videlicet agris. pratis. silvis. & censibus. prout libere possidebam - - - priorisse in *Steinheim* & monialibus ibidem. pro centum libris Hallensium. & quadraginta marcis Argenti. marcham solvendo pro tribus libris. minus V. solidis. tali lege conditionis apposita. vt si dicta venditio prefato Marchioni. vel suis heredibus. displicuerit. per se. vel per Rodarium militem refarciat perceptam a dictis monialibus pecuniam. ratione dicte venditionis. a festo Michaelis infra decennium. & prememorata curia a dicto nobili marchione vendita. libere ad ipsius Dominium. vt antea fuerat. cum vniversis pertinentiis suis revertatur. Alioquin prenominata curia pure sit vendita. ut de ea disponant tamquam de vero & libero predio. prout suis cummodis & vtilitatibus melius. & salubrius dicte moniales viderint expedire.

Acta sunt hec anno Domi M. CC. LV. 11j. Nonas Octobris. & ne periculum fidei formidetur. vel alicuius calumpnia post successione[m] temporis predicta valeant infirmari, & sigilli mei munimine & Prepositi in Bacgenanc perpetuum & validum capiant munimentum. & robur valide firmitatis.

~~~~~

CXXX.

CONCAMBIUM BONORUM INTER ABBATIAM ALBÆ  
DOMINORUM ET SCULTETUM VILLÆ  
MALSCH.

~~~~~  
A N N O M C C L V I .

Ex autographo tabularii Bada-Durlacensis.

Frater W. dictus Abbas & conuentus in Alba Monasterio Cyftercien-
fis ordinis. Patere uolumus tam posteris quam presentibus,
quod commutauimus agrum factum ex vinea in villa *Malsch* situm in
uia que ducit ad puteum, quem omni libertate possedimus Steimaro
ejusdem uille tunc Sculteto, pro tribus iugeribus agrorum & dimidio,
quorum unum est inter grangiam nostram & proximam ripam, vnum
adiacet quatuor nostris iugeribus ultra proximam ripam, vnum uero &
dimidium jacet apud arborem Azzelonis. Et hoc consentientibus Gote-
frido dicto Simelar, tunc aduocato illustris domini *R. marchionis de
Baden* & eiusdem vniuersitate, ita videlicet quod prefatus Steimarus
& post ipsum sui heredes inpendant domino Marchioni vel cuiunque
domino

domino uille omnem seruitutem de agro sibi dato que deberet inpendi sibi ab agris prenominate nobis adscriptis, ut eos possideamus in perpetuum libera facultate. ut autem hec commutatio sine qualibet calumpnia stabilis permaneat, sigillo vniuersitatis in *Etheningin* cum testibus subscriptis eam à sepe dicto Steimaro nobis petiuimus roborari. Sunt uero testes in *Etheningin* Otto sacerdos, Gotefridus Scultetus iurati, Ludewicus, iuuenis Volkmarus Hartungus, Gozzo senex. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. Quinquagesimo Sexto.

||
(L. S.)



CXXXI.

COMPOSITIO PER ARBITROS INTER ABBATIAM
TENNEBACENSEM ET ADVOCATOS VICI
WEISSWEIL.

—————
A N N O M C C L V I.
—————

Ex Archivo Tennebacensi.

Notum sit omnibus presens scriptum intuentibus, tam presentibus quam futuris, quod *W. nobilis de Gerolsegge* in remedium anime sue suorumque contulit monasterio in *Tennibach* Curiam dictam *Harderen* sitam in banno *Wiscewil* cum omnibus suis appendicijs & omni jure libere possidendam. insuper dictum monasterium quedam bona sita in eodem banno, ab advocatis ejusdem Ville de *Wiscewil*, videlicet Domi-

Cod. Dipl.

Ff

no Herrmanno & Domino Johanne militibus proprietatis nomine tam emptione quam Cambio conquifivit: iidem vero advocati licet minus juſte, dicto monaſterio communes ſylvas & paſcua eidem banno communia prohibebant. ipſum autem monaſterium ſentiens indebitè ſe gravari, Concivium ſuorum in Friburc *R. nobilis de Vſenberc* & aliorum amicorum ſuorum invocavit conſilium & juvamen, qui præfixerunt prædictis advocatis diem colloquii in *Endingen* ſuper compositione amicabili de prædictis, ubi præfati milites & Dominus *R. Abbas* prælibati monaſterii comparentes præſentibus Domino *R. nobili de Vſenberch*. Domino *H. Marchione de Hahperch*, nec non civibus de *Friburc* ac pluribus aliis militibus & villanis, auditis hinc inde propoſitis, Compromiſerunt in arbitros ex parte monaſterij in duos, ſcilicet Dominum *W. Scultetum* de *Endingen* & Dominum *P. militem* dictum de *Stoufen* & ex parte militum in duos. - - - advocatum de *Limperg*, in Dominum *R. militem* dictum *Ruirthiſtoc*. Dominus autem de *Vſenberch* de conſenſu utriusque partis fuerat mediator. qui taliter arbitrantes ſtatuerunt, quod bona præfati monaſterij cum omnibus pecoribus contentis tantum in prædicta Curia in *Harden* uti deberent communibus ſylvis & paſcuis, ſicut & cæteri attinentes Banno ſuperius memorato, ut igitur - - - Acta ſunt hec anno Domini *M. CC. LVI. iiij. Non. Octob.* in cimiterio *S. Petri* in *Endingen* præſentibus & aliis quam pluribus fide dignis.

CXXXII.

RUDOLFI I. MARCHIONIS BADENSIS LITERÆ
CONSENSUS, UT ERLEWINUS MONIALIBUS IN
PFORZHEIM CURIAM SUAM TESTA-
MENTO LEGARET.

A N N O M C C L V I I .

Ex autographo tabularii Bada - Durlacensis.

R. Dei gratia, *Marchio de Bade*, omnibus presentem cedulam in-
specturis salutem in omnium saluatore. Notum fieri uolumus
uniuersis, quod nos priorisse & conuentus dominarum in Pforzhein pre-
cibus inclinati Erlewinum dictum Liebenere curiam & bona sua sita in
ueteri ciuitate juxta Pforzhein predictis dominabus in testamento legare
uoluntarie consentimus & ipsis dominabus predicta bona, que idem Er-
eisdem conferre uoluerit, tanquam alia bona nunc ab ipsis possessa
concedimus perpetuo possidenda & hoc annuente domina & collateralis
nostra C. & feliciter admonente, ut autem hec rata & inconuulsa per-
maneant, presentem cedulam sigillorum nostrorum munimine duximus
roborandam. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesi-
mo septimo XIII. Kal. Junii.

Nota. Authentico appendet adhuc sigillum Marchionissæ Cunegundis.

CXXXIII.


CONRADI COMITIS DE FRIBURG, RUDOLFI COMITIS DE HABSURG ET DYNASTÆ USENBERGICI SENTENTIA ARBITRALIS IN CAUSA ABBATIS TENEBACENSIS CUM HERMANNO ET JOHANNNE DE WEISSWEIL.

A N N O M C C L V I I I .

Ex Autographo.

Wir Herren Graue Cuonrat von Vriburch, Grave Ruodolf von Habsburch, der Herr von Usenberch tun kunt allen die nu sint und hernach künfftig werdent, das der Appet von Tennibach und die Samendunge ze Krieg wurden mit Herren Hermanne und Herrn Johanneße von Wisenwil umbe die almeinde, die da hörît, und in den Hof ze Hardern, der Krieg war gelaxzen an den Schultheizen von Endingen, an Herrn Peter von Stouphen, an den Vogit von Limpurch, an Herrn Riutistack von Teningen und war da Obeman der Herre von Usenberch, die geben darüber Recht ze Endingen und wurden darüber Brief gegeben umbe die Briefe, wie man die verstan scolte, entwürffen sie sich bedenthalben, daz war gezogen fier uns vorgeante Herin, do erteilten wir uf unseren eit und alle, die da warin, das der Herrin Hof von Tennibach ze Harderen allez daz Recht sol han, an Wunne und an Weide, an Holtze und an Velde, alse jeman da von Wiscewil und daz dieselben allmeinde nieman verkoufen sol noch enmag mit recht ane gemeinen rat und willen alre der gebiurscheffe, an dierrê Vrteilde waren mit uns. Herr Ruodolf

von Eistat - - - und andere genuege. Durch daz ðiz flete blibe und nit vergessin wurde, so han wir - - - - - unser ingesigele dran gegeben ze Vestenunge und darzue der Statt ingesigele von Vriburch. Wande ez ðch da geschach dez Jares, do von Gottes Geburte waren zwelfshundert Jar echtewi, und funfzig Jar ze mitten Merzin.



CXXXIV.

CONRADUS COMES FRIBURGENSIS ABBATIÆ
TENNEBACENSI DONATIONEM CURTIS ET MOLENDINI
PROPE FRIBURGUM CONFIRMAT.

ANNO MCCLIX.

Ex autographo Tennebacensi.

In Nomine Patris & filij & Spiritus Sancti : Ego Conradus Comes de Friburg. vniversis tam presentibus quam futuris. noticiam hujus rei. Cum certum sit omnibus Christi fidelibus omnipotentis Dei Prouidentia Celestia simul & terrena moderari. ipsumque Largitorem bonorum esse credamus. idcirco nos beneficiorum ipsius non immemores nec ingrati. & si condigne non possumus. ei tamen pro posse tenemur merito respondere gratiarum actionibus. Libenti animo & parato. Sciant igitur uniuersi generaliter. & dilecti Cives dilectæ Civitatis nostre Friburg. quod cum Cuonrad bone recordationis qui dicebatur Grotze. & uxor ipsius Hiltrudis. Divina Inspiratione inducti. Curtim suam & molendinum quoddam extra muros prefate Civitatis, cum omnibus per-

tinentiis suis. Scilicet agris. pratis. vineis. cultis & incultis, Deo & Beatæ virgini ac Domini de Thennibach presentibus pluribus tam civibus quam aliis, pro salute animarum suarum libere & absolute secundum libertatem qua eadem Civitas ab avis & proavis nostris illustribus *Zeringie Ducibus* ab antiquis temporibus fundata esse dinoscitur, contulissent! nos quoque donationem eandem! quam pie memorie avus noster Comes *Egino senior de Vrach dictus cum Barba.* & pater noster Comes *Egino* gratam & ratam habuerunt! approbamus tenore presentium confirmantes. sed quia agri curtis ejusdem naturaliter per se steriles! necesse habent cujusdam aque deductione irrigari! alioquin essent inutiles! Cujus aquæ usum idem C. de manu Domini & auunculi patris mei *Ducis Bertholdi* feodaliter habebat! successive quoque ejusdem aque proprietas hereditario jure ad patrem nostrum fuerat devoluta! qui ad laudem & gloriam & honorem gloriose Dei genitricis, semperque virginis Marie. usum jam dicte aque Domino Abbati *Cunrado* & Monasterio supra dicto *ze rechtem Erbelehin* concessit! in perpetuum possidendum! pro solido *Brisgaudiensium*! annis singulis persolvendo. nos etiam ob dilectionem & ampliorem gratiam, qua prefate Domus fratribus tenemur! eo quod felicis memorie. pater noster eisdem collectus sit. & ibidem elegerit sepulturam! sepe dicte aque usum Domino *Burchardo* Abbati, & eidem Domini concessimus! pro censu superius memorato! ut ipse defunctus eorum precibus adjutus. inter electos in fine cum unicuique merces à Domino recompensabitur! valeat numerari. hujus rei testes sunt. frater *A. Cellarius* de *Tennibach.* *Gotfridus Seba* de *Friburg* sacerdos. *Cunradus* dcs *Sneweli* in Curia. *Cunradus* de *Zerlingen* in foro. *Cunradus* de *Tufelingen* senior. *Johannes* & *Heinricus*

fratres dicti de Munzingen. Hermannus Sneweli. Gotfridus de Slezstatt. Cunradus de Tufelingen junior. Vlricus Rintkof. Hermannus Wiffilberh. B. Wirfeh! Cives in Friburg. & quam plures alii! fide digni. in hujus rei testimonium & evidentiam pleniorum! Domino. Ab-bati & Conventui de Tennibach presentem paginam contulimus! sigilli nostri munimine roboratam. datum, apud Friburg. anno Do-mini M. CC. LVIII. nonis Novembris.



CXXXV.

RICHARDI REGIS ROMANORUM DIPLOMA, DATUM
RUDOLFO MARCHIONI BADENSI.

ANNO MCCLVIII.

Ex Cod. Urstif. Poster.

RICHARDUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus &c. Uni-versis, quod nos ad preces & instantiam Illustris Viri RUDOLFI Marchionis de Baden, dilecti Principis & consanguinei nostri &c. Da-tum Moguntiae Anno MCCLVIII. die XXIII. Augusti, Indictione I. Regni nostri anno secundo.



CXXXVI.

LITERÆ DONATIONIS BONORUM IN DURLACH
MONASTRIO ALBÆ DOMINORUM FACTÆ.

ANNO MCCLIX.

Ex autographo tabularii Bada - Durlacensis.

In nomine Domini Jesu Christi Tenore presentium liqueat vniuersis ,
quod Ego Mehtildis relicta Erlewini libenarii de Pforzheim dicta de
domo lapidea ex instinctu diuino pie desiderans & feruenti studio carita-
tis affectans diem messionis extreme aliquantulis operibus misericordie
preuenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Do-
mino cum multiplicato fructu recolligere possim in celis. Domino Jesu
Christo à Deo patre vniuersorum heredi constituto sueque piissime geni-
trici nec non Deo deuotis & eidem beate virgini famulantibus. Abbati
& fratribus in Alba Cisterciensis ordinis profiteor me donasse donatione
inter viuos vniuersa bona que habeo in *Durlach* videlicet Curiam cum
domo & horreo extra muros ejusdem oppidi sitam ad portam que respicit
versus *Grecingin* juxta Rubum qui dicitur Shelminbusch, quam bone
memorie dictus Erlewinus libenarius olim confors meus & ego de no-
stris

fr̄is bonis communibus emimus a nobilibus viris Cunrado & Berchtoldo de *Grecingin* militibus, cum bonis ad eandem Curiam pertinentibus, videlicet agris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis & virgultis ceterisque pertinentiis, que inquam bona ab antiquo libera semper fuerunt & sunt, cum ceteris bonis ibidem hucusque possessis & habitis à me & predicto conforte meo cum omni jure & utilitate, prout ad me spectabant, & hanc ipsam donationem feci sollempniter & legaliter in manus Hugonis Prioris & Heinrici cellerarii dicti de Dagiersheim & fratris Merkilini de Alba, accedente consensu expresso fratris Udalrici Gardiani fratrum minorum in Spirea mei confessoris in porticu Ecclesie eorundem fratrum presentibus & ad hoc vocatis testibus Domino Decano & Magistro Heinrico de Arkastel canonico sancti Germani & Heinrico Rectore ecclesie in Kuffilbrunnen & Heinrico de VeiHINGIN ciue in Pforzheim & Gozoldo genero ejus affinibus meis. Postmodum uero hanc eandem donacionem innouaui cum protestacione publica in claustro majoris Ecclesie Spirensis presentibus venerabilibus Dominis Preposito Cantore Berngero de EntringIN Magistro Diethero cellerario canonico & magistro Cunrado & magistro Heinrico cymino prebendariis Spirensibus, Godiberto clerico de WizinSTEIN & Hugone sacerdote de Brediheim & aliis quampluribus viris honestis. Fuit etiam adjecta condicio siue pactum prelibate donationi, quod si quis meorum uel mei confortis heredum prefatos Abbatem & fratres in Alba super bonis ipsis duxerit impetendum, persoluere teneatur eisdem, ducentas viginti marcas argenti, & sic bona recolligat memorata. Ad omnium igitur premissorum euidenciam manifestam, presentem paginam sigillis dicti domini prepositi &

Cod. Dipl.

G g


Capitulorum majoris Ecclesie & sancti Germani nec non Gardiani prefati petii communiri & communitam prefatis Abbati & fratribus assignari. Acta sunt hec anno domini M. CC. LIX. VI. & V. Kal. Julii.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)



CXXXVII.

CONRADUS COMES FRIBURGENSIS MINISTERIALIBUS ET HOMINIBUS SUIS PERMITTIT, UT ABBATIÆ TENNEBACENSI BONA SUA LIBERE CONFERANT.

A N N O M C C L I X.

Ex Tabulario Tennebacensi.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Ego Cunradus Comes de Friburch. omnibus tam futuris. quam presentibus. hanc paginam inspecturis salutem. & notitiam hujus rei. Cum omnis salus hominum. á Creatore querenda sit vniuersorum. nos pro statu Corporum. ac salute animarum. nostri videlicet omniumque progenitorum nostrorum ipsum Clementem Dominum in servis suis. qui die noctuque sibi seruiunt: Digne duximus honorandum. Religiosis ergo viris. Domino Abbati & Conventui de Tennibach, quos in Domino. & propter Domi-

num diligimus. hanc fecimus gratiam. & dedimus libertatem. ut quidquid ministeriales & homines nostri de rebus suis mobilibus vel immobilibus in Elemosinam pro remedio animarum contulerint eisdem. vel in morte legauerint. in presentiarum & in posterum. tanquam per nos factum. ratum maneat & inconuulsum. Ne autem hec nostre constitutionis gratia. aut per nos. aut per posteros infringi forte valeat. presentem paginam sigillo nostro fecimus confirmari. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. quinquagesimo nono.



CXXXVIII.

RUDOLPHI I. MARCHIONIS DONATIO MONASTERIO
LUCIDÆ VALLIS FACTA.

A N N O M C C L X.

Ex Gamansii Manuscripto.

Rudolphus Dei gratia, Marchio de Baden, omnibus hoc scriptum intuentibus, gestæ rei notitiam atque fidem; cum in officiis charitatis, illis primo loco teneamur obnoxii, a quibus nos cognoscimus secundum carnis propaginem descendisse, seu etiam, a quibus sentimus, nobis beneficia provenisse; Dignum duximus, ea memoriae commendanda, sane volentes ex hoc tam ætati, quæ nunc est, quam posteritati futuræ lucide declarari, quod cum nos ex exequiis bonæ memoriæ

genitricis nostræ Irmengardis contingeret interesse, ad monasterium lucidæ vallis, quod ipsa pura charitate construxerat, & dotaverat, de multimodis patrimonii sui bonis (nostro tamen in his accedente consensu) sedula meditatione recogitavimus, aliquid in his superaddere, quod nostram & ipsius piæ matris salutem videatur augere & ideo curiam nostram sitam prope Ecclesiam in superiori parte villæ Summersheim Argentinensis Diœcesis, quam inhabitat Bertholdus dictus Ryserich cum ipsius pertinentiis universis, donavimus & assignavimus in perpetuam elemosynam dicto Monasterio lucidæ vallis, sub ea protectione, quod Abbatissa, & conventus ejusdem loci ter in anno, videlicet in anniversario genitoris nostri HERMANNI *Marchionis de Baden* felicis Recordationis, item in anniversario piæ rememorationis fratris nostri *Hermanni Ducis Austriae*, faciant conventui specialem consolationem, pro remediis earundem animarum. Præterea census ad summam XIV. Vnciarum Argentin. monetæ, quos habuimus in *Freimersberg*, (a) in parochia Baden, liberaliter donavimus eidem cœnobio, donatione inter vivos & deputavimus ad hoc, ut Conventus ejusdem loci lampadem indefinenter ardentem, diu noctuque juxta tumbam dictorum Patris & Matris nostræ, debeat cum pervigili ministrare. Ad hujus igitur rei perpetuam certitudinem præsentem litteram sigillo nostro fecimus communiri. Datum apud Baden prid. Calend. Martii Anno Domini millesimo, ducentesimo, sexagesimo.

(a) In alio apographo legitur: Feimersberg; sed rectius *Freimersberg*, qui mons monasterio Franciscanorum, nunc existenti, nomen dedit.

CXXXIX.

LAUDUM INTER ILLUSTRUM PRINCEPEM RUDOL-
FUM, MARCHIONEM BADENSEM, ET INTER ABBATIAM
GOTTESAVIÆ SUPER NOVA VILLA HUIUS MONASTERII
PROPE ECKENSTEIN, HODIE NEUREUTH
DICTA.

A N N O M C C L X.


Ex autographo tabularii Bada-Durlacensis.

In nomine Domini Amen. Litigantibus & dissentientibus Illustri Prin-
cipe RUDOLFO *Marchione de Baden*, Berhtoldo Abbate & Conven-
tu monasterii in Gotesowe ordinis Sancti Benedicti Spirensis diœcesis,
super novali & plantatione ville site citra terminos & limites ville in
Eckenstein, spectantis ad predium dicti conventus, de bona voluntate
& unanimi consilio compromissum est ex utraque parte in tres personas,
scilicet in Sifridum militem dictum de Rietbûr, Waltherum & Hein-
ricum notarios Marchionis antedicti. Que itaque litis discordia ab eis-
dem amicabiliter est sopita, hoc modo, quod dictus dominus Marchio
singulis annis de qualibet Huba festo Johannis Baptiste duos solidos
Hallens. In natiuitate beate virginis Maldrum Siliginis & in festo beati
Martini duos solidos Hallens. & duos pullos capere debet, sine lite.
Memoratus siquidem Abbas & Conventus dicto festo Johannis Baptiste
duos solidos Hallens. festo beati Martini dimidium Maldrum auene, &

duos solidos, nec non pro jure capitali quod vulgariter Hertreht vocatur duos solidos Hallenf. percipere debent de qualibet Huba superius prenotata. Nulla quidem contentione obstante, quin sepe dictus Marchio de proteruiis ibidem commissis quinque solidos Hallenf. capiat nomine advocatie, & super fures judicium suum debeat exercere. Adjectum est etiam & compromissum, de consensu partium in memoratos Sifridum de Rietbure & Waltherum notarium, quod si sepe dictus Marchio molendinum juxta predictam villam Eckenstein duxerit construendum, facere debet sine dampno predii memorati, ita quod aqua effluens & discurrens Grangiis predii sepe dicti non inferat prejudicium vel grauamen: quod si fecus visum fuerit ad restaurum dampni Marchio debet recompensare secundum quod dicti Sifridus & Waltherus fuerint arbitrati. Hoc tamen interposito, quod si vnus vel ambo decefferint de hac vita, alii duo loco ipsorum de consensu partium euocentur ad discutendum de lite, si qua de predicto molendino possit in posterum suboriri. Insuper si dampnum per ipsius molendini constructionem nimis intolerabile videatur, dictum molendinum sine contradictione qualibet a sepe dicto Marchione perpetuo destruat. In cuius rei euidenciam & certitudinem plenior, figilla memoratorum *RUDOLFI Marchionis de Baden* & *B. Abbatis* presentibus sunt appensa. Hujus facti testes sunt videlicet *Heinricus de Rossewac*, *Albertus de Dutenstein* milites, *Werenherus* advocatus de *Durlach* & alii quam plures, data siue acta anno Domini *M. CC. LX. xvij. Kalend. Maji.*

||
(L. S.)

||
(L. S.)



CXL.

MARCHIO HEINRICUS DE HACHBERG MAJORUM
SUORUM DONATIONES, ABBATIÆ TENNEBACENSI
FACTAS, CONFIRMAT.

A N N O M C C L X I.

Ex autographo Tennebacensi.

Wir Margrave Heinrich von Hahberg, tuon kunt . . . das wir
dur unser sele und dur aller unser vorderon selan heil, ve-
steneu u. steten alle die gabe die unser Vatter oder de kein unser vorderon
hent getan deme Gotteshuse ze Tennibach, ze Muosbach das dorf an ei-
gen u. an erbe u. den Kilchunsax mit alleme rehte alse si es hatton und
gaben mit aller vriheit u. reht so darzuo horet oder sol horen an lute
u. an guote, an wunne u. weide, an holz u. an velde, u. den walt sun-
derlich, an akeren u. an mattan, an vischen u. an vischenzan, u. swas
unser vorderon hatton rehtes an den wassern die umbe das Closter gant,
oder dur sin eigen das unser vorderon deme Closter hent gen. oder anders-
wannen ist gen. das hein wir stete. und swa das minre rehtes were. das
geben wir willekliche mit alleme rehte alse wir es solten han, und darzuo
horet . . . Dis geschach ze Hahberg in der burg des jares do man
zalte von Gottes geburte zwelf hundert jar unde sehzeg jar unde ein jar
in en vastun an der crumen mitkun (a) nah dem Balmetage.

(a) Ita autographum; alibi scribitur Krumme Mitwoch.

CXLI.

ULRICUS DE GUTINBURCH JUS SUUM, SI QUOD
HABUIT, IN ADVOCATIA VILLÆ RIEDE MONA-
STERIO S. BLASIJ CONCEDIT.

A N N O M C C L X I I .


Ex autographo Abbatia S. Blasij.

Omnibus presentium inspectoribus. Vir nobilis Ulricus de Gutin-
burch miles. notitiam rei geste. cum nos Advocatiam ville in
Riede, cujus proprietas monasterio Sancti Blasij nigre silve noscitur per-
tinere, nobis nostrisque progenitoribus à Reverendis in Christo A. Ab-
bate & Conventu ejusdem monasterij commissam non habito eorundem
consensu dudum vendiderimus Nobili Viro C. quondam militi de Rotten-
lain & per hoc dicti Abbas & Conventus gravati non modicum dictam
Advocatiam emerint sive abolverint à Viris Nobilibus Walthero, Otto-
ne & Lutoldo fratribus dicti C. filiis pro quindecim Marcis argenti, nos
si quid nobis juris ex hoc forte competeat, quod contractus inter nos &
dictum C. quondam habitus minus validus habebatur, totum jus nostrum
si quod habemus. cum habere videbatur casu aliquo contingente. ratifi-
cando contractum ultimo habitum inter Abbatem & conventum ac Nobiles
superius nominatos tam pro nobis quam heredibus nostris in monasterium
transfundimus memoratum, ut sicut per nos gravatum est, sic etiam
aliquan-

aliquantulum sublevetur. in cujus facti evidentiam ac robur perpetuum hanc paginam exinde conscriptam Venerabilis Domini E. Dei gratia Constantiensis Episcopi & nostri procuravimus munimine roborari.

Actum in Castro Brnowe VIJ. Kalend. Martij Anno Domini MCCLX secundo, Indictione iij.

(L. S.) (L. S.)



CXLII.

VIRI NOBILES DE ROTTENLAIN FRATRES JUS
ADVOCATIÆ IN RIED ABBATIÆ S. BLASIJ
VENDUNT.

A N N O M C C L X I I.

Ex autographo tabularij Abbatiae S. Blasij.

Omnibus presentium Inspectoribus. Viri Nobiles Waltherus, Otto & Lutoldus fratres de Rottenlain notitiam rei geste. Ne labantur cum tempore que geruntur in tempore scripturarum solent indiciis perhennari. Noverint igitur omnes & singuli, quos nosse fuerit opportunum quod dum Reverendi in Christo A. Abbas & conventus monasterii Sancti Blasij, nigre silve, lesi per nos & C. quondam Patrem nostrum in possessionibus ejusdem monasterij apud *Ried* in quibus nobis Advocatie

Cod. Dipl.

H h

jus pertinebat non modicum viderentur. Nos receptis ab eisdem Abbate & Conventu quindecim Marcis argenti dictarum possessionum Advocatiam, & totum jus quod nobis competebat ibidem damus tradimus immo transferimus in monasterium ante dictum, ita quod iidem Abbas & Conventus Advocatiam ipsam cum proprietate libere debeant perpetuo possidere. Renunciantes publice tam pro nobis quam pro omnibus heredibus nostris omnibus juribus sive consuetudinibus tam Advocatie quam aliis que nobis in eisdem possessionibus competunt l. competere videbuntur casu aliquo contingente. Promittimus etiam Abbati & Conventui qui pro tempore fuerint in dicto monasterio de prefata Advocatia sive translatione predicta nos quotiescunque requisiti fuerimus Warandiam prestituros. In hujus autem facti evidentiam & robur perpetuum hanc paginam exinde conscriptam sigillorum venerabilis Domini E. Dei gratia Constantiensis Episcopi & nostris procuravimus munimine roborari. Actum in Castro Rottenlain XV. Kalend. Martij Anno Domini MCCLX secundo. Indictione quarta. Presentibus nobili Domina dilecta matre nostra, magistris C. de Rotwil & Al. de Ruth Plebanis, Gottfrido de Baden et Gottfrido de Lene militibus. Alberto Advocato Henrico Tufant. W. Wurmilini de Rottenlam Henrici de Horne & Johanne Ministro de Schonow laicis & aliis quam pluribus fide dignis. In Domino feliciter Amen.

(L. S.)

(L. S.)

CXLIII.

CHARTA BERTOLDI ET BELREMI FRATRUM DE
WIZENSTEIN, QUA CASTRUM SUUM LIEBENEKE ET
VILLAM WIRME CUM UNIVERSIS BONIS INDE
PENDENTIBUS IN RUDOLFUM I. MARCHIO-
NEM BADENSEM LIBERALITER
TRANSFERUNT.

A N N O M C C L X I I I .

Ex autographo Bada - Durlacensi.

In nomine Domini. Nos Bertoldus Advocatus & Belreimus fratres de Wizenstein, infinuacione presencium cupientes vniuersorum noticie declarari, quibus datur hæc literalis pagina demonstrari, quod nos habita diligenti deliberacione super eo quod illustri Domino nostro RUDOLFO, *Marchioni de Baden*, debito fidelitatis & homagii tenemur astricti, recognoscentes nobis ab ipso suisque progenitoribus multimoda beneficia prouenisse & ex hoc ad antidota nos teneri, omne jus, quod habuimus uel habere uisi sumus in Castro *Liebenecke*, quocunque titulo uel quocunque modo, liberaliter transferimus & assignamus in manus Domini nostri predicti, volentes & affectantes, ut plenum dominium & libera ac absoluta possessio tam in jam dicto Castro quam in villa *Wirme* & aliis

H h 2

attinentibus possessionibus in villis & agris, cultis & incultis, hominibus & mancipiis, pratis & pascuis, viis & inuis, nemoribus & uirgultis, molis & molendinis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus & venationibus, cunctisque juribus aliis ad ipsum Castrum quocunque modo spectantibus, ad eundem dominum nostrum pleno jure debeat pertinere, & renunciamus omni juri, vtilitati & honori, possessioni & dominio, que in predictis tenuimus & ad nos, ut dictum est, quocunque modo spectabant, verum tamen villam *Huochenvelt*, quasi sub nostro dominio conseruatam, titulo feudali concessimus personis subscriptis, videlicet Cunrado dicto Colbe, filio Alberti Colbonis militis in Castro Vurftenecke residenti, Bertoldo dicto Widenér de Ingersheim, Liotwino de Glatebach. Sibotono de Hule. Alberto de Helfenberg. Cunrado & Sibottone fratribus de Schonowe. Volentes, ut ex hoc feodo debitum nobis homagium recognoscant. Permittimus tamen & liberaliter annuimus, ut predictae persone liberam habeant facultatem transferendi predictam villam feudatam à nobis, in manus & potestatem sepe dicti Domini nostri Marchionis, non obstante homagio nobis facto. Vt igitur ea, que premissa sunt, singula & vniuersa, rata & inconuulsa permanent, presentem litteram sigillo nostro & nobilium virorum Conradi de Rossowac, Reinhardi, Kimonis de Baden & Bertoldi de Remchingen sigillis fecimus roborari. Ego Belreimus, sigillo proprio carens, appensione sigilli fratris mei Bertoldi, aduocati sum contentus. Acta sunt hec aput *Eteningen*, quarto Kalendarum Septembris, Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, presentibus hiis, quorum sigilla presenti littere sunt appensa. Presentibus etiam Conrado de Rother. Hugone de Werbenwac. Sifrido de Otenkein & Borchardo, di-

cto Burner, militibus. Heinrico de Barchusen & Walthero de Eberstein, notariis dicti domini Marchionis. Conrado Aduocato de Remchingen & Blicgero de Steinach & aliis quam pluribus fide dignis.

|| || || (L. S.)
Bertholdi de Remichingen.



CXLIV.

BERTHOLDUS DE BADEN MILES VENDIT GERDRUDI MAGISTRE IN SICENKILCHE POSSESSIONES SUAS IN MULNHEIM CUM ADVOCATIA.

ANNO MCCCLXVI.

Ex tabulario Abbatia S. Blasij.

BERTOLDUS *de Baden* miles noticiam rei geste. Notum facio presentibus & futuris. Vendo & dono religiosis feminis Gerdrudi magistre & Conventui in Sichenkilche ordinis S. Benedicti - - - possessiones meas sive predia que habui in Mulhaim cum Advocatia, accedente consensu Domini mei nobilis viri E. Dei gratia Comitis de Vriburch - - - & ad hoc nos nostrasque possessiones de Adilboltshoven dicto Monasterio contiguas presentibus obligamus.

Ut autem hec maneant firmiora hanc paginam sigillo Domini mei & meo Magistre & conventui tradidi communitam. Nos C. Comes de

Vriburch emptionem & venditionem supra scriptam ratam habentes
 - - - - approbamus.

Ego G. Senior *de Baden* sigillum proprium non habens sigillo B. filij mei contentus sum. Nos Vol. & G. sigillo patris nostri B. presentibus usi sumus. Acta sunt hec in Mülnhain Anno MCCLXVI. Kal. Jun. Presentibus Rudolfo de Valchenstain Schulteto in Nuwenburch milite, Rudolfo de Wilere &c.



CXLV.

HENRICI COMITIS DE VURSTENBERCH LITERÆ
 QUIBUS FRATRES QUOSDAM MINORES IN CASTRUM SUUM
 VILLINGEN AD INSTITUENDUM IBI ORDINIS HUIUS
 MONASTERIUM MITTI ROGAT.

CIRCA ANNUM MCCLXVII.

Ex Archivo Fürstenberg.

Viro religioso discreto ac in Domino per omnia reverendo Fratri Alberto ministro Fratrum minorum Alemannie H. Comes de Vürstenberch, quicquid potest amicitie, obsequij & honoris. Vestre paterne discretioni presentibus omni qua possumus instantia supplicamus, quatenus Fratres vestri Ordinis ad ampliandum cultum divini Nominis, &

animarum Salutem in Domino promovendam , ad Castrum nostrum Villingen pro recipienda & edificando ibi domo, ad usum vestri Ordinis, velitis transmittere propter Deum. Ut autem petitioni nostræ in hac parte favorabilibus annuatis, tenore vos presentium securamus, quod omnia jura & Libertates, sive statuta & consuetudines vestri Ordinis favore benivolo prosequentes, in nulla unquam parte ledemus, vel minuemus, & quantum in nobis est bona fide omnia illibata custodiemus, & observabimus, & faciemus a nobis subditis observari. Omnes etiam areas in eadem villa habitas & habendas pro vestris edificijs construendis damus in perpetuum omnimode Libertati.



CXLVI.

HENRICI COMITIS DE VÜRSTENBERCH ET UXORIS
EJUS AGNETIS CHARTA LIBERTATIS NOVO FRATRUM
MINORUM IN VILLINGEN MONASTERIO
CONCESSÆ.

ANNO MCCLXVIII.

Ex Archivo Fürstenbergensi.

Universis presens scriptum inspecturis H. Comes de Vürstenberch salutem cum notitia subscriptorum. Que aguntur in tempore ne labantur cum tempore, litterarum solent testimonio confirmari. Noverint igitur presentes & posterj, quod Nos & Agnes Uxor nostra Comi-

tiffa, cultum Dei ampliare cupientes, pro nostra & nostrorum predecessorum ac successorum salute, Fratres minores vocavimus cum multa precum Instantia ad Villam nostram Vilingen, consensu & petitione civium dicte ville comuniter accedente. Obligantes nos eisdem Fratribus tenore presentium, & asscurantes, quod omnia jura & libertates sive statuta & consuetudines sui ordinis, favore benivolo prosequentes, in nullo unquam parte ledemus vel minuemus, & quantum in nobis est, bona fide omnia illibata custodiemus & observabimus, & faciemus a nobis subditis observari. Omnes etiam areas in eadem villa habitas & habendas, cum via inter murum nostre Civitatis & ipsis areis contigua, pro sepedictorum Fratrum habitatione necessarias, damus in perpetuum omnimode libertatj. Et ut hec firma & illibata permaneant, presentes litteras munimine Sigillorum nostrj ac dictorum Civium roboramus. Datum in prenotata Villa Vilingen, Anno Domini M. CC. LXVIII. Dominica prima post Octavam Epyphanie.

(L. S. penfilis.)

(L. S. penfilis.)

CXLVII.

CXLVII.

EXCERPTA EX EMICONIS COMITIS LEININGENSIS
LITERIS AD HEINRICUM ARGENTINENSEM EPISCOPUM,
QUIBUS SELSAM SE A MARCHIONE PIGNORIS
NOMINE SUSCEPISSE ASSERTIT.

A N N O M C C L X V I I I .

Ex Wenckeri appar. & instructu archivorum. pag. 178.

Venerabili Domino suo & precordiali Domino suo Episcopo Argentinensi. E. Comes de *Liningen* debite fidelitatis obsequium semper promptum. Noverit vestra pietas, me memorie reduxisse, quod vos, Dominus meus Spirensis, & Dominus de Fleckenstein, muros & fossata Civitatis Selsensis destruere & complanare promissistis, & deinde domos & homines ibidem residentes defendere & tueri. non defendistis, immo ipsam Civitatem funditus destruere permisistis. & quia videbatur michi quod ipsam impune curaretis, ad petitionem militis de Bannacki, *ratione cujusdam pecunie a Marchione sibi persolvende eam suscepi nomine pignoris*, hoc modo ipsam promittens defendere & tueri. non credebam hoc vestre gratie displicere. sed si, quod absit, contra vos in hac parte aliquid ademptum, ad vos breviter veniam, & omnia sinistre ademptata revocabo & emendabo totaliter, juxta vestre beneplacitum voluntatis.

CXLVIII.

RUDOLPHI MARCHIONIS LITERÆ AD ARGENTINENSEM CIVITATEM, QUIBUS DE SELSA DESTRUCTA CONQUERITUR.

CIRCA ANNUM MCCLXVIII.

Ex Wenckeri appar. & instr. archiv. pag. 179. & Laguille histoire d'Alsace, Preuves pag. 45.

RUDOLFUS Dei gratia *Marchio de Baden.* Burgimagistro Civium, Consulibus, ac universis Civibus Argentinensibus servitium & salutem. Licet inter treugas quas affinis noster dilectus E. illustris Comes de Liningen inter nos & vos observandas statuit, nostrum opidum Selse, per vestros homines rapinis & incendiis sit destructum ipsas Treugas volumus prout honorem nostrum condecet sicut promissimus firmiter observare, confidentes de vobis quod ad omnem injuriam sive Dampnum nobis illatum satisfactionem nobis debitam porrigatis. Datum in castro *Liebenecke* (a) feria sexta post Octavum Purificationis btæ. Virginis.

(a) Idem hoc castrum cum vico Würm, de cujus acquisitione Chartam CXLIII. supra produximus, nunc possident L. B. *Leutrum ab Ertingen* quorum majores illud anno 1499. sub territorialis subjectionis & feudi lege a Christophoro Marchione acceperunt.

CXLIX.

HEINRICUS COMES FURSTENBERGENSIS CURIAM
VENDIT CONSENSU FRATRIS SUI GOTFRIDI ET
AGNETIS UXORIS.

ANNO MCCLXX.

Ex Archivo Fürstenbergensi.

Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, *Hainricus Comes de Urach Dominus in Fürstenberg.* amicitiam suam & omne bonum. Noverint universi presentes & posterius, quibus nosse fuerit opportunum, quod nos H. Comes de Virstenberg. Curiam nostram sitam apud Capellam Sancti Nicolai cum omnibus appendicijs, agris, pratis, jugeribus, & ceteris quibuscunque attinentijs, pleno jure manu libera vendidimus, pro summa pecunie XXX sex marc. argenti dilectis in Christo fororibus Ite Magistre, & Conventuij. dictis de domo patrum, ut autem predicta vendicio per nos libere facta ratificatio haberetur, consensum heredum nostrorum videlicet Domini Comitis Gotfridj fratris nostri Canonici Constant. Ecclesie. nec non honorabilis Domine Agnetis uxoris nostre, placuit adhiberi, de quorum manibus dicta Curtis cum suis predijs prefatis Ite Magistre & Conventui nobis presentibus, & volentibus, omni cessante Calumpnia, fuit libere resignata. Ne autem super hoc Contractu, iuste vendicionis & libere, non foedali titulo, seu paterne hereditatis Justo patrimonio ipsis in posterum prejudicium aliquot generetur, predictam paginam postularunt, nostro

figillo & Comitum Gotfridi & universitatis de Vilingen fideliter roborari. Acta sunt hec anno ab Incarnatione Domini M. C. C. LXX. post festum Purificationis Beate Marie Virginis. & hii testes huius rei Wnh. patruus. Cunradus Stahellinus. Senior. H. Villicus de Gruningen. H. de Vokkenhufen. H. Sollo Senior. Burk. Wand & filius suus: : Woller. Viricus dictus Bube. Burk. de Stokka. Bernh. Haimburg. P. dictus Herolt. Walth. der Nunnon. P. Scultetus. & Otto. & H. fratres sui. & alij quam plures, fide digni.



C L.

D. DE ROTINBERC HOMINES ABBATIÆ S. BLASII
IN RIEDEREN A JURISDICTIONE SUA LIBEROS
PRONUNTIAT.

A N N O M C C L X X.

Ex autographo Abbatiae S. Blasii.

Omnibus hanc paginam inspecturis. Nobilis Vir D. miles de Rotinberc notitiam subscriptorum. Noverint omnes & singuli, quos nosse fuerit opportunum, quod dum Reverendi in Christo A. Abbas & Conventus monasterii Sancti Blasii & Magister dictus Spulo de Constant. Advocatiam villæ in Riederem à Nostris Nepotibus V. O. & L. Nobilibus de Rœttilleim sumtibus suis legaliter conquississent. Et nos homines ejusdem ville ad Judicium nostrum ad Curiam Tegernowe quorundam persuasionibus minus bonis compellere niteremur,